

Cartulaire de l'Abbaye de Redon en Bretagne: [832–1124], Nr. 36

Haec carta indicat atque conservat quod dedit Roeantken terram .IIII. modios de brace, id est, Rann Uuicantoe et duos modios et .VIII. sextarios de Ransantam, quam terram comparavit Roeantken de Maenuuobri, de Haeluuicon, Sancto Salvatori in Rotonno, in elemosina pro anima sua et pro regno Dei, cum massis et manentibus et cum omnibus appendiciis suis, et cum omni supra posito, totum atque integrum, dedit Sancto Salvatori et monachis illi servientibus, sine censu, sine tributo ulli homini sub caelo nisi supradictis monachis. Factum est hoc .XII. kl. martii, .VI. feria, in Rotonno; et postea firmatum est hoc in aecclesia Rufiac, .III. non. martii, .V. die dominico, regnante Karolo rege, dominante Salomone Brittanniam, Reduualatro episcopo, coram nobilibus viris qui ibi aderant: Roeantken, que dedit, testis; Leuhemel, presbyter et monachus, testis; Tudian, presbyter, testis; Ebetic, presbyter, testis; Iarnhitin, testis; Dumuualart, testis; Iarndetuid, testis; Fomus, testis; Haellifois, testis; Rethuualart, testis; Sulmin, testis.